

QVAESTIONES PHILOSOPHICAE PVBLICE INGOLSTADII AD DISPUTANDVM PROPOSITAE ANNO

Ch. N. M. D. LIX. Calen. Decembris, Praesidente M. Sebastiano Reifachero, sed propugnatoribus summæ
J. S. Spei iuuenibus Vuolfgango Frantz, Matthia Malo, Iohanne Diemario.

Doctrina, uirtute, auctoritate praestanti Erasmo Vendio Sebast. Reifacherus S.



Ogitant mihi quodhaec quaestiones Philosophicae, de quibus hic publice disputare pro mei officij ratione in animu induxerā, & in pluribus essent exemplaribus describende, & pro more gymnasij nostri sigillatim omnibus praeclearissimarū artium Professoribus & doctoribus mittende. Typographo illas nostro placuit ad excudendum & euulgandum tradere: praesertim uero quod partim nō dubiam in spem induceret, hasce quaestiones, quae non peruagatae, nec eruditorū etiam monumentis aut sermonibus celebratae nimirum, sed eumē nostra officina, maiore ex parte recentes de prompte, tum uero in latebris & recessibus Philosophiae interioribus abditae essent ac recondita, non fore plerisque liberalissimarum studiosis disciplinarum ad legendum aut insuetuofas, aut iniucundas: partim autem de rebus propositis non recusarem plures ob causas non Academicorum solū nostrorū, sed aliorū etiam uirorum ingenij doctrinae que muneribus cumulatorum peracria subire iudicia. Tibi uero Vendi ornatis, quod hoc quasi μάλον τὸ ἐξ ἰδού non tamen ut Paris Veneris, sed potius ut Mercurius Paridi, uel, si hoc insausi uidetur omnis, ut palaestra scolasticae Agonothetae percommodo dedicare ac inscribere uoluerim, tria me praecipue incitarunt. Primum ut & tu ipse, & parte alij, quos nostrae huius Academiae Reip: patrociniū, curaq; attingit, quae mei hic ordinis Professorum & scolasticorum exercitationes, qui muneris colendi laudabiliter sui, conatus essent, cognosceretis. Deinde ut sic quasi pigra quoddā & monumentum extaret publicē cum amiciciae inter nos mutuae, tum uero & obseruantiae in te meae singularis, & studij tui in omnes & literas nobilissimas, & earum alumnos germanos praecipui. Postremo quod non obscura mihi spes afferebatur hoc argumentum uel ideo tibi gratius & iucundius futurū, non solum quod ab eo profectum, quem tu quin omni semper studio & beneuolentia complexus fueris, mihi dubium non est, uerum etiam quod ex praediuite Philosophiae parentis quoque tuae clarissime cella promptuarie desumptum sit, quae suis te olim uberibus persuaibus sic laetauit, sic blando sinu fuit & aluit, ut nisi ex huius amantissimi altricis gremio praeproperē sine fato, sine genij cuiusdam praesitis impulsu tui ablati esses, & auo carus ad aulica illustris, nostri Botariae Principis negocia pertractanda, quibus certe summa tua cum laude, ac permagna indies honoris accessione praesides, tantis doctrinae huius incrementis auctus esses, quanta sufficerent uel ei, qui locum inter principes nostrae memoriae literarū, Philosophiaeque cultores tenere uelit. Quare te nunc ad extremum uehementer etiam atq; etiam oro, ut chartaceum hoc munusculum, leuidense illud sanē, sed ab animo tibi deditissimo profectum non grauatae me accipias. Zoilos autem nostros ex imperitia, iniquitate, mendacio totos compositos, quibus, ut uerē comicus ait, nil rectum uidetur, nisi quod ipsi faciunt, quiq; ut in salutari doctrina legitur, τὸ κέρφθ' τὸ ἐπ' τῷ ὀφθαλμῷ ἀδελφῶν σου βλέψουσι, τὸ δ' ἐδ' ὀκρὸν τὸν τῷ ἰδ' ἰδ' ὀφθαλμῷ δὲ κατανοῶσι, si nos lacescere iniurijs nō desistant, suis aliquando coloribus, quod id per equitatem licebit, pulchre depingemus, praesertim quod ipsos nō pudeat corā in os Iudae osculū usurpare, clam autē in circulis suorū ueneno conuiciorum perfidiose respergere, ad more illorum, qui, ut uetus est adagium, altera manu caput scabunt, altera malam feriunt. Vale Ingolstadij.

LOGICAE QVAESTIONES.

Recentiores quidam scolastici philosophi acutissimi se sequi categoriam tantum affirmarunt esse, quae ponatur in numerum, ut ipsi loquuntur, hoc est, quae absolute significet res non λόγῳ tantum, uel modo significandi, sed re ipsa quoque, ut entia diuersa, non dissimilia tantum, distinctas.

- Itaq; rem esse in uniuersum nullam contenderunt, praeterquam quae naturae Categoria, & specie qualitatis prima, tertiaq; comprehenditur.
- Quod autem res ille diuersis rationibus & nominibus significarentur, decem Categorias constitutas ab Aristotele existimauerunt.
- Verum & qualitatis illis, non nisi naturas uel sub ratione qualis, uel absoluti alicuius (si modo res absolute sunt qualitates.) significari uerisimile uidetur.
- Ac si qualitates inter absoluta numerantur, non temere quis censuerit illas solas esse corporeas naturas, quae tamen sint simplicis, non compositae ex materia & forma, ut haecenus in scolis ex Aristotele traditum est.
- Nam cum omnia, quae principijs illis uere tribuntur, in qualitates sensibus subiectas conuenire uideantur, philosophia figmentis illis inanibus & superuacaneis, & magna tamen inuolutis obscuritate, commode fortasse careret.
- Nos autem has opiniones omnes in utramq; partem tum exercendi ingenij, tum ueritatis indagandae causa defendemus.
- Triā dicimus in rerum natura distinctionum seu differentiarum esse genera, non tamen ut Rodolphus & Viues, qui separationem pro differentia rerū ponunt, neq; ut alij pleriq; qui ad materialem distinctionem, quam realem & essentialem & numeralem uocant, & ad formalem, quae & rationis uel nominalis distinctio dicitur, adiungunt personalem differentiam, quam quidam & formalem dicunt, quae in sacrosanctam tantum triadem quadrat: sed ut unum sit diuersitas, alterum dissimilitudo, tertium inaequalitas.

PHYSICA:

Somnus (peruulgatus enim physycorum, & medicorum definitiones hic multis de causis non probamus) est animantis a sensibus exterioribus cessatio, non quod posthac naturaliter sentire prorsus nequeat, sed ideo tantum, quod non sufficiens calor influens sensuum instrumentis suppetat, idq; non proximē ob lipothymiam, aut terrorem, aut similem cordis affectum sauum, & repentinum, sed ob alias quascunq; causas.

- Non suppetit autem satis caloris naturalis influentis, quod & a corde non subministratur, & quod suppetitatum est, in istdem instrumentis nō permanet, sed uel suapte ui exhalat, uel exringuitur, uel foras aut extruditur, aut extrahitur, uel intro aut attrahitur, aut repellitur.
- Ceterum suppetitur ad extrinsecum uel a principio interno, id est, a se ipso, quod calor suapte natura insublime, atq; centro ad extremitatē ambientē perferatur: uel ab alio, quod foras ab internis aut attrahit, aut expellit.
- In his si uel deest facultas, uel uoluntas, motus ad externa impeditur.
- Voluntas deest, cum non attrahitur ab externis, aut non expellitur ab internis, aut uoluntatis uixire non iubetur.
- Facultas autem, cum itinera sunt occlusa, aut impeditur motu contrario uehementiore, quod scilicet uel attrahatur, uel repellatur, uel suo pte pondere feratur ad interna, uel motu obliquo, circulari, multiplici cieatur, aut cum calidum natium influens est ineptum ad eius modi motum propter inconuenientem aut quantitatem, aut qualitatem.
- Vie, per quas calidū influens commeat, occluduntur a comprimētib; obstruentibus, densantibus, & adstringentibus.
- Attractio fit a parte uacua, ab alio calore propter sympathiam, a uoluntate iubente, a membris calido illo propter praesentiam obiectorum ad suas abeundis actiones naturales, uitaes, animales indigentibus. Talis enim partium situs in toto conueniens est, quem duce natura partes expetunt. Neq; tamen insicias iuerim sympathiam internam alicuius cū calido influente occultiore, quam spiritualem uocat Fracastorius, attractionem aliquam moliri posse. Postest namq; attrahi a membro tanquam alimentum, aut oblectamentum.
- Repellitur autem a refrigerantibus per antipathiam, a facultate expultrice, a uoluntate iubente, a cordis certis perturbationibus, a membris quiescere uolentibus: occultior item antipathia hic locum habere potest.
- Inconueniens quantitas est uel nimis multa, quam tantus calor nequit regere, sed copia ipsius opprimitur, suffocatur, uel nimis pauca, nec sufficiens, ut in corpus uniuersum expandatur & ad quaslibet actiones opituletur: quae quidem penuria ex calidi influentis aut consumptione, aut extinctione, aut deficiente generatione enascitur.
- Inconueniens qualitas est uel debilitas nimia caloris uel frigoris intensus uel grauitas, uel crafasitudo, uel tenuitas, quae materiam ad illos motus incommoam efficiunt.
- Quamuis nobiles quidam philosophi ac medici aduersus Aristotelem & Galenum somnū neq; cordis neq; cerebri propria affectionem esse contendunt, sed corporis totius, propterea quod somnus priuatio sit sensuum omnium, inter quos tactus in uniuersis membris, in quae rami dispersi sunt neruorum, sedem ac domicilium habeat: tamen τὸ πρῶτον αἰσθητικόν cum proprie principaliterq; sensus munere fungatur, & ueluti praetor quidam, aut dictator sensuum omnium externis instrumentis utatur, uel tanquam internuncijs, aut interpretibus, uel tanquam fenestris, ut Cicero in Tusculanis appellat, & quasi tubulis perforatis, per quos externarum rerum simulacra ad internum animi augustale uel praetorium uerius permanerent, recte censuerunt pleriq; somnum in ea parte, in qua sensus principatus inest, principaliter collocari.
- At uero tametsi πρῶτον αἰσθητικόν Aristoteles cor, Galenus cerebrum constituerit, tamen nobis utrumq; probabilibus, neutrum firmis, euidentibus, ac necessarijs rationibus doceri uidetur.

- Quia somni sunt uires uariae ad animal multiplicibus tum salubribus, tum insalubribus cumulantium affectionibus, eius quidem finis erit neq; concoctio, aut quies animalis ut Aristoteles putat, neq; cerebri recreatio, ut Galenus existimat, sed quamuis persepe ob salutem animantis calor influens exteriora membra desituat, tamen interdum οὐχ ἐνεκα τοῦ εἶναι (libet enim Aristotelis uerbis loqui.) ἢ διὰ τὸ βέλτιον τῶν ζωῶν, ἀλλὰ διὰ τὸ ἀναγκαῖον τῆς ὕλης id accidit. Finis etiam somni uidetur anime libertas ad suo proprio munere fungendum per insomnia, cum uigilando sensuum functionibus astricta teneatur.

Somni genera duo sunt, unum naturale, quod moderatum est pro cuiusq; sani corporis natura a moderatis utilibusq; causis excitatum, alterum praeter naturam, quod uiolentum est, & morbosum a causis uehementibus & subitis & morbosis ortum, ex quo difficulter animal excitari potest. Neutrum somnum nullum ponimus.

POLITICA.

Ius a iussu dictum, ueluti materia primaria ciuili scientiae proposita, in qua illa uniuersa principaliter uia ratione, explicanda occupatur, & cuius ipsa iusticia hoc est, actio iusta, licita, & innoxia, subiectum est, pertinet ad perpeitionis categoriam, ac est quaedam permissio passiae, hoc est ipsum permitti, & non improbari, aliquid agere uel non agere.

- Quare ius ita definimus, ut sit ratio quaedam, seu conditio personae alicuius, qua illa qui ppiam agere uel non agere, proxime aut remote non improbat a Deo, uel a recta ratione seu prudentia, sexto Ethicorū ad Nicomachū descripta, quae inest omnibus ijs, in quibus neq; sensus, nec intelligentiae sanitas, neq; conueniens eorū ad res illas intelligendas adplicatio deficit.
- Deo uero, & recte iudicantibus hominibus non displicent tales actiones, quae non plus adferunt mali, quam boni humane societatis, & rerum uniuersitati, uel quae homine facientem in uita beata, eoq; fine, ad quem a Deo sapientissimo rerum moderatore uel a natura illius ministra conditus est, assequendo, atq; tuendo non impediunt, quibus uidelicet mens sana conseruetur in corpore sano, nec male sit uel omnibus hominibus, uel optimis, & quam plurimis, quo ad eius fieri potest. Nam hic est humane uita scopus, haec norma, ad quam certe nō ueluti ad regulam Lesbiam, de qua Homerus Philosophorum in Ethicis loquitur, sed quasi ad Cynosuram stabilem, fixam, immotā omnes leges, instituta, precepta, consilia dirigi debent.
- Ex actionis autem obiectis recte diuiditur in ius reale, ac personale.
- Ius autem in rem dominū appellatur, quod ex agendi quantitate, qualitateq; in ciuili scientia commode tribuitur in dominium partim perfectum ac plenum, partim imperfectum, idq; uel directum uel utile, quorum singulorum acquirendorum modi uarij sunt instituti iuri uel naturali, uel ciuili consentanei.
- Dominio utili, aut uerius omni dominio ē regione tanquam relatum respondet seruitus, quae realis & iusta dicitur: sicuti iuribus in personas, ut relata opponuntur obligationes, in quarum quidem numerum, & seruitutes merē personales, & ille quas quidam quarti generis faciunt, aggregandae sunt.
- Iura in personas, ut ex causis efficientibus, nempe negocijs, quae Aristotele testificante, sunt aut uoluntaria ad iusticiā commutantē pertinentia, in quibus contractus proprii, & quasi contractus comprehenduntur: aut nō uoluntaria distribuentis potius iusticiae propria, quorsū nō solum maleficia, & quasi maleficia referuntur, sed etiam aliae actiones uiolentae, fortuitae, naturales, quae obligationes ex lege parere dicuntur: sic etiam ex ipsis personis, inter quas iura illa uersantur (quae sunt: ut eas Aristoteles etiā in lib. 5. Ethicorum, cap. 6. leuiter attingit, serui, domini, parentes, liberi, coniuges, tutores, pupilli, patroni, clientes, magistratus, subditi, socij, & aliae similes.) & ex alijs item attributis, non perperam in certa genera diuidi possunt.
- Ius etiam generatim ex causis efficientibus alijs distribui potest in diuinum & humanum.
- Diuinum dicitur quod oritur ex persuasionibus de rebus, quae in nobis ē celestibus & peculiariibus dei patefactionibus innaescentur. Nam caro & sanguis haec non reuelant, sed pater celestis, Matth. 16.
- Humanum uero quod emergit ex opinionibus, in quas humanum ingenium sine celesti illa patefactione adducitur.
- Huius duo genera constituuntur, naturale, atq; ciuile.
- Naturale quidem, cuius obiectum est, uel haec actio (Non magis humano geueri nocere quam prodesse.) uel alia, quae ad illam actionem propinquius adiuuat, aut non obstat. Neq; uero naturale dicitur, quod hominibus a natura peculiariter sine sensus, & rationis auxilio inferatur, quasi discere nostrum, ut Platoni uidebatur, esset recordari, & non potius animus hominis, quomodo illius & alumnus & Aristarchus Aristoteles in 3. de animo persciē scribit, γαρ ματαίειον ἔσται, ὅ μὴ ἐνὶ τῷ ἀρχαῖ ἐντελεχείᾳ γεγενημένον, δεκτικὸν δὲ τοῦ εἰδένου, καὶ δυνάμει τοῦ ἴδον, qui multorum tamen de principijs practicis adhuc eruditus est: sed quod celerius, facilius, certius in omnibus sanis exortatur ingenijs.
- Ciuile contra dicitur, quod in ijs cernitur actionibus, quae ad principem illam hoc in genere actionem remotius conferunt, uel non impediunt, quaeq; ob id ipsum non ita sunt euidentēs & faciles uel prudentibus etiam hominibus ad improbandum aut non improbandum.
- At uero quoniam contradicentia simul uera esse nequeunt, quod principium principiorum dicunt, conficitur hinc euidentissime aduersus Aristotelis in 5. Ethicorum doctrinam, id quod diuinum etiam Plato in Minoe luculenter differit, non solum naturalia, sed omnia iura in uniuersum, neq; magis τὸ εὐτακὲς, quam τὸ ἀκριβοδίκον, ἢ δίκον apud omnes aequē nationes, sicuti ipsam aetherni numinis uoluntatem, esse perpetua, & immutabilia.
- Nam quod uis illi sapientissimo & summo uniuersitatis rerum arbitro semel placuit, nunquam non placet: ac id quod ei non placet, iuris quidem umbra & imago fallax, solida uerbo ex pressaq; effigies, quemadmodum Deus ille ac parens eloquentiae latine in libi de officijs loquitur, nequaquam esse potest.

A. 1559.

[Faint, illegible text in the top right section of the page.]

[Faint, illegible text in the middle right section of the page.]

[Faint, illegible text in the bottom right section of the page.]

[Faint, illegible text in the top left section of the page.]

[Faint, illegible text in the middle left section of the page.]

[Faint, illegible text in the bottom left section of the page.]

ДАВЫДЪ СЛЮБОДНИКЪ

1861. ЯНУАРИЯ 12. ВЪ С. ПЕТЕРБУРГѢ. ПЕЧАТАНЕМЪ ПЕЧАТНИКА ИМПЕРАТОРСКОГО С. ПЕТЕРБУРГСКАГО УНИВЕРСИТЕТА С. ПЕТЕРБУРГСКАГО ПЕЧАТНОГО ЗАВѢДАВАТЕЛЬСТВА. ЦѢНА 2 КОПѢЙКИ.

Имъ Императору
вѣрно извѣстно
какъ вы
волею
своєю